
B. N. C.[t]
FIRENZE
1 0 9 3
3





1093 3

NDEX

DAM NOVITATUM,

Quas

IS SAMUEL
FFENDORFF

LIBRO SUO

DE

JURE
ATURÆ ET
GENTIVM

Contra orthodoxa fun-
damenta Londini edidit.



Anno M. DC. LXXIII.





XVII
50

I.

STatuit, civitatem ejusmodi doctrina personare debere, quæ cum fine & usu civitatum congruat; explicatque hoc ipsum non tantum de scientia humana, sed etiam ea, quæ est circa cultum Dei. Sic n. pag. 910. Inde expedit, ut publicè &c. confer p. 911. Qui error Theologiam Gentilium ἰσθμὸν sequitur; quippe, quæ etiam utilitati publicæ respondere debebat. Corrupta hac doctrina luculenter innuit, sicut sibi proficuum fuit Heidelbergæ agere Calvinistam, ita in Suecia sub specie pietatis Lutheranum fictè profitetur; quod si in ultimo Mundi angulo Muschovia ei benignior fortunæ aura afflaret, religionem juxta suam doctrinam inculti hujus populi moribus conformem confestim sibi fingeret more impiorum politicorum, quorum axioma est, si fueris Romæ Romano vivito more, si fueris alibi, vivito sicut ibi.

II.

Deum, eo quod agens liberrimum est, na-

turæ suæ legibus ita non teneri docet, ut hoc vel illud (intellige peccata) agere non possit, affirmatque omnia illa, quæ non agere posse dicitur, non per naturale impedimentum, sed ex placito vel voluntate non agere, legemque sibi ipsi non nisi ex placito esse pag. 133. §. 3. Quod autem & p. 166. §. 6. sicut & vald[illegible] ibid. Sed nec citra animadversionem &c. (ex quo posteriori loco intelligitur fundamentum erroris esse, quod existimat legibus naturæ adstrictum esse, Majestati omnipotentiæ incongruum esse: cum tantum quidem absit, ut vel omnipotentiæ vel beatitudini divinæ hoc quicquam derogat, ut etiam perfectionem & immutabilitatem divinam quam maxime confirmet.) Sequitur autem Puffendorfius in errore hac Zuinglianos, qui etiam legibus Numen non teneri ideo docent, quia libere cum creaturis agere licet.

III.

Quando pag. 133. docet, ex placito vel voluntate non autem ex naturali vel essentiali impedimento provenire, quod Deus quædam agere non posse dicatur; voluntatem utique & essentiam Dei non unum, idemque, sed distincta esse cum Vorstio T. de Deo docet.

IV.

Statuit Justitiam ad Deum propter simili-

tudinem

tudinem saltem, talem nempe agendi modum, qualis est in hominibus ad Deum applicari, Deoque ἀνάξιος, imo etiam minus Deo, quam hominibus competere p.134. Hinc & quando &c, inter homines sanctum pag. 166. §. 6. p. 177. §. 12. Istis locis &c. Ita autem de justitia Dei sentire Puffendorffium Sociani docent, qui non essentialem Dei proprietatem Justitiam, sed tantummodo effectum voluntatis ejus esse affirmant vide Socin. de serv. Christ. c. 91.

V.

Deum non principaliter propter essentiam, sed propter potestatem, voluntatem & beneficia coli, idque primum implicite pag. 79. his verbis. Adeoque legibus obeditur non principaliter propter rem ipsam, sed propter voluntatem præcipientis. Deinde explicite p. 92. Inde etsi impia sit Epicuræorum. Quem errorem iterum communem habet cum Socinianis, inprimis autem Schmaltio. Refut. monstror. pag. 88. ubi inquit. Nisi enim constaret eum, qui divinam habet essentiam divinam etiam habere potentiam in nos omnes, & simul voluntatem nos juvandi, non sequeretur ei præcisè deberi cultum divinum.

De homine in statu integritatis sequentes observa errores.

VI.

Docet illum statum, in quo homo absque

ulla cura vel ope ab alio homine accedente consideratur, longè miserrimum esse; ne illo quidem excepto, in quo homo justa statura ac robore præditus fuit, quàm primùm existere cœpisset, h. e. statum Adami ante Evam creatam p. 140. § 2. Si igitur. Qui iterum error Socinianismum sapit.

VII.

Docet, primum ac recentem orbis incolam h. e. Adamum, (quem licet in statu integritatis ex revelatione multa cognovisse haud negemus, tanta tamen sapientia eum conditum esse credimus, quanta hodie in summum etiam Philosophum non cadit) hunc inquam iste servari non potuisse docet, nisi Deus ipsum necessaria etiam vitæ media adhibere peculiariter docuisset p. 140. §. 2. Inde licet de originibus &c. In quo errore Pelagianos sequitur, qui rudem Adamum & sapientiæ expertem conditum esse docuerunt. Vel etiam Socinianos, qui cum Schmaltio Adamum ante peccatum infantis instar fuisse, qui quid esset, nudum esse, ex se ipso scire non potuit.

VIII.

Quod homo prout ex creatione physicè perfectus extra societatem existit, sine lege ordine & decore reluctantem habuerit voluntatem, brutisque ipsis miserior ac pravior fuerit, quæ causa, quamobrem lex illi superaddita sit. Hoc

sibi

ſibi vult pag. 3. Nobis illud §. 3 Exinde p. 4. §. 4. p. 136. §. 5. & 6. pag. 138. §. 8. Igitur quod homo &c. Talia vero Socinianorum & Hobeſii principia ſequutus docet. vide Schmalt. de natura Dei Fil. p. 61. Socin. lib. ſuaſor p. 95.

IX.

Attributa vel entia moralia originitus homini phyſicè perfecto ſuperaddita ſaltem non concreata eſſe p. 3. §. 3. & 4. Intelligit a. per entia moralia illos etiam modos (ut loqui amat) quibus homo creatura eſſe debet, autorem ſui agnoſcens, colensque, quibusque diversa plane à brutis ratione vita eidem exigenda eſt (h. e. legem naturæ.) Sic n. entia moralia ipſe explicat pag. 5. & 6. § 6. 7. Illud vero nempe quod entia moralia originitus ſuperaddita ſaltem, non autem concreata homini ſunt, quando docet, cum Papiſtis maximè facit. Ex his enim Bellarm. cap. 6. de gratia primi hominis eundem in modum ſcribit, Creatio refertur ad naturam, indumentum virtutis ad ſuperaddita dona. Et mox. Innocentia autem ad illius veſtem non naturalem &c. Et paulo poſt. Quocirca ex teſtimonio &c. Ut multa paucis exprimantur, ſi quis penitius inſpexerit Puffendorfii opus, non diffitebitur, Puffendorfium non modo entia moralia, verum etiam totum ferme librum primum tam

obſcurè

obscurè tractare, ut ipse vix intelligat, quid infirmis suis novitatibus sibi velit, nisi ut eas imprudenti juventuti sub terminis metaphysicis & fictitiis venales indignè exponat.

X.

Primos homines prout in origine ac statu suo primævo se habuerunt, non tantùm mortalium, nomine appellat, sed tantam etiam illis imbecillitatem tribuit, ut sine peculiari cura servari non potuissent. Mortalitatis etiam causa genus humanum diversitate sexus, propagandique sese facultate creatum esse p. 140. §. 2. Inde licet p. 750. §. 2. Postquam. In quo errore Pelagianos, Socinianos, aliosque sequitur. vid. Augustin. de Hæres. c. 28. Socin. l. de statu primi hominis p. 57.

XI.

Recentem & solitarium orbis incolam attonitum, h. e. consternatum fuisse ibid. p 140. §. 2. Qui error ejusdem notæ cum prioribus est.

XII.

Illud autem quod primus etiam homo extra societatem sine lege, ordine, ac decore miserrimus fuerit, probari illo posse dicto putat. Non est bonum, hominem esse solum. Præfat. 1. fol 3. fac. 1. Cæterùm &c. Imprimis v. p. 138. §. 8. Igitur quod homo non miserrimam &c. Quasi vero externa illa socialitatis felicitate deficiente naturalis

ralis etiam & essentialis hominis deficeret felicitas. Quasi vero inquam bonis fortunæ deficientibus, bona statim animi & corporis deficerent. Alicujus, non autem omnis humanæ felicitatis causa est socialitas; augmentum, non fundamentum.

De Homine in Statu corruptionis.

13. Entia moralia, eorumque effectus originitus etiam considerata amitti vel deleri pro lubitu posse sine ulla mutatione vel corruptione ejus rei cujus antea fuerunt, pag. 4. §. 4. Ac per eadem p. 19. §. 23. Quem errorem etiam communem cum Pelagianis, Socinianis ac Papistis habet.

14. Negat, quædam per se citra omnem impositionem honesta vel turpia esse, omnesq; actiones hominis, adeoque ipsum furtum, homicidium, incestum, adulterium, blasphemiam &c. naturâ sua actiones esse indifferentes. p. 25. 26. NB. 27. Hoc n. modo conf. pag 47. §. 14. pag. 167. §. 4. Qui Hobbesii error Vltrajecti nuper publica disputatione refutatus est. Quantum mali ex tam impiis novitatibus in rempubl. redundare, incautæq; juventutis animos opinione citius pessimè corrumpere possint, norunt Theologi.

15. Peccatum alienum exsequi, peccatum non esse p. 1028. & 1029. Quemadmodum in plurimis aliis, ita & in hoc casu amplam fovet conscientiam & novitatis cum piorum offensione est studiosissimus.

Errores circa liberum arbitrium.

16. In ipsa facultate apprehensiva & in judicio naturalem inesse rectitudinem, vel intellectum hominis naturaliter esse rectum p.37.§.3 p.72. Nam id utique. Qui error Scholasticus est damnatus à Luthero in articulis Schmalcald, artic. de peccato post Adæ lapsum. Talia portenta &c.

17. Omnibus suis affectibus vel passionibus imperare hominem posse; ut ne in actionem erumpant, verbis Cartesii, quæ sua facit, statuit p 55. Illud instituto nostro &c.

Errores circa legem naturæ.

18. Genuinum sufficiens & adæquatum principium cognoscendi legem naturæ esse socialitatem pag.181.§.14.p.183.§.15.NB.p.188.§.19. (Quasi vero Paulus Rom. 1. ex professo juris naturalis principia enumerans ignoravisset ac omisisset principium maximè genuinum, manifestum, sufficiens & adæquatum. Quasi vero principia ejus essent adulterina, obscura, insufficientia, inadæquata.)

19. Legem naturæ insitum quendam vel connatum habitum esse negat. Primum quidem implicitè toties, quoties entia moralia naturæ jam creatæ & perfectæ superaddita saltem, vel superimposita statuit esse, Item quoties discrimen honestorum & turpium ex informatione, assuetudine & discursu esse docet, id quod potissimum p.179. & 190. facit. Deinde expli-

de explicitè p.178.§.13. Quam ad rem &c. Ubi etiam dictum illud Pauli Rom 11.v.15. per quod legem insitam esse credimus, in falsam suam detorquet sententiã. Adde his pag. 19. Nunquam enim. Est autem hæc Socinianorum etiam doctrina, de qua vide Socin. prælect. Theol. c.2. p.3. ubi receptior hodie sententia est, inquit, homini naturaliter, ejusq; animo insitam divinitatis alicujus opinionem &c. Hanc sententiam nos falsam esse arbitramur, conf. Tract. de statu primi hominis c.4.p.118.

20. Essentialem Dei justitiam prototypum juris naturalis esse negat p. 163. & 164. idque argumentis probare conatur, sed ejusmodi, quibus ipsam Dei justitiam cum imagine ejus, vel eo, quod ei conforme est, confundit. Legitur hic ejus error etiam in Elementis juris universi, estque gravissimus, quippe quo fidem Christianam de imagine Dei ex ipso fundamento evertit (quod Autor benè quidem intelligit, sed ne facere videatur addit; Quæ enim ex sacris Scripturis afferuntur, quod homo ad imaginem Dei sit conditus, huc non faciunt. Nam & qui imaginem illam amissam fatentur, legis Naturalis sensum in homine remansisse agnoscunt. Sed gratis hæc addit, quandoquidem ita simpliciter amissam esse imaginem Dei non credimus, ut nullæ ejus supersint reliquiæ, quæ nunc lex naturæ sunt. Neque præterea valet consequentia hæc; Imago essentialis

Dei justitiæ est amissa. Ergo lex naturæ non potest esse ἐκτύπωμα essentialis Dei justitiæ. Nam simpliciter eam quoad spiritualia amissam esse credimus, nihilominùs tamen spiritualia illa, quibus ad imaginem Dei renovamur, ἐκτύπωμα essentialis Dei sapientiæ, justitiæ, & sanctitatis sunt.)

21. Negat legem naturæ esse æternam p. 25. §. 6. Et sanè. pag. 28. Ex quibus apparet.

22. Entia moralia (adeoque etiam leges naturæ) mutabilia esse docet pag. 19. §. 23 Hæc nova plus veneni, quàm commodi juvenibus afferunt. Beati, qui simplici via jus naturæ & decalogum tractant, & entia moralia, eorumque mutabilitatem Puffendorfio soli volvenda ac revolvenda relinquant.

23. Principium essendi vel fundamentum Legis naturæ non naturam hominis ponit, quatenus integra & incorrupta ad imaginem justitiæ & sanctitatis Dei essentialis velut prototypi creata erat (quòd rectè qui sentiunt cum Mævii Prodromo secundum scripturas & Formulam concordiæ de tertio usu legis thesi 1. Etenim ne primi &c. faciunt) sed legis Naturæ fundamentum, quatenus à creatore socialis facta est, adeoque ipsam socialitatem cum duce suo Hobbesio Hæretico ponit esse, idque statim in præfat: fol: ult: Cæterùm id quoque monere visum &c. ibidem; Quid porro planius est, quàm hoc &c: Adde pag: 167: Sic quòd &c: (ratio ipsius est,

quòd

quod nostrũ Orthodoxorum illud fundamentũ illi tantum ex Christianis admittunt, qui peccatum Originis agnoscunt, non ad universum mortalium genus. Quasi vero ab ignorantia illius fundamenti ad negationẽ ejus descendendum sit; præsertim cũ ista sit ignorantia non facti, sed juris universalissimi, quod scire omnes & debent & possunt secundum illud Apostoli Rom. 10. v. 16. 18. Multi quidem evangelio inobedientes sunt. Ego vero dico, annon audiverunt &c. Quanquam fundamentum illud nostrum materialiter etiam gentes ex parte admittunt, quando principia connata, quæ nihil aliud sunt, quam reliquiæ imaginis divinæ nobiscum agnoscunt.)

24. Plures uxores, quàm unam domum duxisse contra jus naturæ (vel decalogum) non esse implicitè docet pag. 776. §. 16. ubi dicit 2. Samuel 12. v. 8: Deum Davidi tanquam insigne beneficium imputasse, quod ei complures uxores dederit. Nam singulare Dei beneficium si fuit aliquando Polygamia, nunquam contra jus naturæ, quòd æternum & immutabile est, esse poterit, add. pag. 778. § 17. pag. 782. §. 19. Expressè autem in Elementis Juris universalis his verbis, at verò ut unus pluribus fœminis simul jungatur, etsi lege divina positivâ inter Christianos jam credatur interdictum, legi tamen naturæ in se haud repugnat.

Circa

Circa Decalogum sequentes notantur errores.

25. Decem Præcepta prout duabus tabulis insculpta & per Mosen populo Israelitico promulgata fuerunt civiles (vel forenses) leges ejusdem populi fuisse pag. 1025. § 4. Quando. In quo errore Ducem suum Hobbesium non quidem in totum, sed in tantum sequi vult, à quo tamen perrarò discedere solet.

26. Nudam illam & universalem cognationem, quæ ex similitudine naturæ resultat, causam & fundamentum esse, propter quod homo hominem diligit p. 6. § 7. In ordine autem. pag. 187. § 18. Nam revera. (ita vero sentit contra illud Genes. 9. v. 6. ubi imago Dei fundamentum mutuæ charitatis esse ponitur.)

27. Dictum Salvatoris, quo jubemur proximum nostrum diligere sicut nos ipsos, explicandum esse non tam de gradu dilectionis, quàm de ejusdem sinceritate p. 226. Qui error Papisticus est.

28. Neminem sibi ipsi obligatum esse, nisi respectu socialitatis, quo respectu etiam homo Dei servus est pag. 86. & Præfat. fol. ult. fac. 1. dantur sane &c.

29. Nullam esse morum honestatem & innocentiam ubique & extra societatem servandam, seu

citra

citra reflexionem ad alios homines in Præfat. fol. ult. fac. 1.

30. In naturali statu neminem altero superiorem esse, cujus arbitrio voluntatem suam suumque judicium submittit pag. 143. & 763. Sic pater filium, & maritus uxorem non regerent, nec iis dignitate, judicio; robore corporis, animo & ætate prævalerent.

Errorem ingentem committit autor circa Magistratum Politicum.

31. Principi (absoluto puta) injuriam subditis inferenti, si evitandi locus non sit, vi occurri posse pag. 1064. 1066. & 1007. contra illud 1 Petr. 2. v. 18. vide Gerhard. de Magistratu Politico §. 484. & 485.


Quem corruptarum novitatum pruritus præposterè instigat contra juris naturæ & divini solida fundamenta; is unicum omnium instar sibi commendatum habeat Puffendorfium, à quo unius anni spatio tam immensum novarum opinionum cumulum sibi comparabit, quos omnes orthodoxi Theologi per omnem vitam ei adimere non valebunt. Multos quidem Magnatum & Nobilium filios Heidelbergæ olim habuit discipulos, & jam Londini in Suecorum Universitate habet (ut fama fertur,) attamen eorum neminem ex abortu suo Monzambano & damnato Hobbesio, quos ipsis continuò inculcare studet, quicquam præclari do-

cuit. Hos acceptâ eorum pecunia, ſplendidè inanes domum remittit, ſic ſuæ crumenæ, & non eorum ingenio conſulit. O tempora, ô mores! Nobis inſuper à fide dignis nuperrimè relatum eſt, ipſos Profeſſores Londinenſes, præſertim Theologos Lutheri animoſitate Puffendorfium jamdudum multorum errorum accuſaſſe, quem tamen Procerum gratia penes Regem contra omnium inſultus adhuc conſervavit &c. Nec mirum, periculoſas ac inauditas Puffendorfii novitates Theologis orthodoxis vehementer eſſe inviſas, cum jam ante multos annos ipſis etiam Calvinianis Profeſſoribus Heidelbergenſibus, tam Theologis, quàm Juriſconſultis, ut & Cancellario Blumio propter novas rerum formas, fictitios terminos, monſtroſa entia moralia &c. valdè diſplicuerit, quem ut Philoſophum & Philoſophiæ Profeſſorem magis in ſtudio hiſtorico, quàm in Theologico vel Juridico verſatum autumarunt. De hisce novitatibus, quas unico obulo venales nimis carè vendi emique credimus, ſuo tempore prolixius agemus.

F I N I S.



SS96013

Angelo Pandimiglio

restauratore
825650 8274800

Google